






OJ
INTER FOLIA FRVCTV






DE
HORATIO
INCREDVLO OSORE

AD
VERSVM CLXXXVIII
EPISTOLAE AD PISONES

DISPVTAT
CHRISTIANVS HENRICVS PAVFLER

DRESDAE MDCCCXII
SVMTIBVS G. M. WALTHERI BIBLIOPOLAE REGII.



Scholastica indicturus solemnia, cum in tanta legentium discrepantia, omnia enim non omnibus placent, dubius haererem, quamnam mihi potissimum deligerem scribendi materiam, et lecturis dignam, et huic generi scripturae satis idoneam, incidi forte in Epistola Horatii ad Pisones in locum, cujus interpretatio, quam vulgo dederunt, licet per se probabilis videatur, me semper suspensum tenuit. Desiderantibus vero nonnullis, vt, qui adhuc antiquitatum romanarum particulam illustraueram, rem tractarem grammaticam, his deesse nolui, satis persuasus, pii esse praeceptoris versari cum omnibus, et ad Pauli exemplum τοῖς πᾶσι γίνεσθαι πάντα. Sed cum vberius cogitarem de loco isto explicando,

tantam ille mihi suppeditauit disserendi materiam, vt, quod vna absolutum plagula me dare posse speraueram, in libellum accresceret meque cogeret superius deserere institutum. Quae igitur lectoribus harum rerum cupidis publice exhibere non poteram, repetens consilium a praesenti necessitate, priuatim edenda curaui. Habes itaque L. B. meam de isto loco sententiam, diuersam quidem a sententia reliquorum interpretum, quam tamen Tibi probare nullus dubitaui. Multi enim, qui iuuenes Horatium legere et intelligere instituunt, in verba solent iurare magistri ac temere credere interpretibus. Hinc fit, vt plurimi quidem cogitent de argumentis, quibus opinionem receptam possint tueri, pauci vero suis vti velint oculis, nec audeant in sententiam inueteratam denuo inquirere iusta ratione; calumniam praesertim verentes et malignum notandi studium, quo flagrant omnes, qui sibi solis placent, et doctrinae fastu inflati sententiam minime inprobandam, sed a sua alienam animo aequo ferre nequeunt. Nam plerique, ait Cicero, *errare malunt, eamque sententiam, quam adamarunt, pugnacissime defendere, quam sine pertinacia, quid constan-*

tissime dicatur, exquirere. Sic omnes fere rapimur opinionibus in errorem. Illud, quod est, qualecunque est, probamus; melius esse haud sentimus. Auctoritate mouemur, vt id verum putemus, quod a plerisque laudatur. Aetatis spatio aut dignitate probatos, quibus credatur, praecipue dignos arbitramur. Veritas, quae antiquorum libris continetur, recte comparatur cum Oceano immenso, qui oram legentibus facili negotio traiiciendus videtur. Interim, puerorum instar ludentium, sedet ad littus congregata criticorum caterua, conchisque et lapillis delectatur nitidissimis atque pulcherrimis ibi repertis. Qui, quae reuera sunt, haec crepundia putant, plurimum vidisse videntur: qui vero hac ratione minime contenti, vlterius tendunt, sibique nouum ludi genus fingunt, apportantes e longinquo lapides in sicco aridoque loco anxie collectos, quibus per aequoris superficiem ingenti vi brachiorum libratis gaudeant, spe fore, vt hac ratione veritas eo magis innotescat et cum lapide ab ipsis immisso quasi exsiliat, ii non infantiores, sed petulantiores iure existimantur. Cum vero omnes, quicunque in hanc arenam descen-

dunt, pro sua quisque ratione atque ingenio, ludere soleant, nos hoc nostro ludo neminem veremur offensum iri, nisi forte eum, qui, vel sibi soli vindicaturus hanc ludendi intelligentiam, nos iudicet ludi ignaros, vel loco pulsus, quod a nostro animo atque consilio longissime abest, se elusum a nobis temere credat. Nos enim, si quid errauimus, est vero errare cuiusuis hominis, refelli redarguique libenter patimur: quod, ut cum Cicerone loquar, illi tantum ferent animo iniquo, qui certis quibusdam destinatisque sententiis quasi addicti et consecrati sunt, eaque necessitate constricti, vt etiam, quae non probare soleant, ea cogantur constantiae causa defendere. Horum iudicio, fulgeat licet ingenii acumine, non mouemur. Est quidem ingenium hominis decus, sed ingenii lumen probitas. Quare nullum miramur ingenium, quod probitate non illustretur.

Quoties ego illam Horatii ad Pisones perlegi epistolam, toties in eo haesitaui loco, quo, quae in scenis agenda, quae acta sint referenda, poëta docet exemplis. Altero enim immania atque crudelia promi in scenam vetare videtur, repugnantia atque absurda altero.

Ne pueros coram populo Medea
trucidet,
aut humana palam coquat exta
nefarius Atreus,
aut in auem Progne vertatur,
Cadmus in anguem.
Quodcunque ostendis mihi
sic; incredulus odi.

Omnes fere interpretes, quorum de his versibus scimus sententiam, haec vltima verba ita intelligunt, vt cum Ascensio, Grifolo, Lambino, Lubino,

Luisino et aliis, illas res vel in vniuersum pronuntient incredibiles, odioque dignas, et propterea a scena removendas; vel Landini, Piscatoris, Sturmii, Sahlii, aliorum auctoritatem sequentes, inter vtramque vocem distinguant, trahantque alteram, nempe incredulitatis, ad Prognen et Cadmum, ex hominibus praeter naturam in animalia mutatos, alteram, odii scilicet, ad Medeae et Atrei nefaria facinora, quippe quae ex oculis spectatorum sublata et intus geri digna, praesens facundia melius narret. Vnus Porphyrion: neque decet, inquit, hoc ipsa in scena fieri, alioquin incipit verus actus fieri, non fabula; quod, vti vulgo intelligitur, ab homine, ceteroquin acuto, vix cogitatum, nedum scriptum putem.

Hinc quoque factum esse videtur, vt, qui e latina in alias linguas transtulerunt Horatium, istum locum vel totidem verbis, vel saltem ita expresserint,

vt ejusmodi res, coram populo peractas, et incredibiles et odio dignas a poëta iudicatas esse dicant. Audiamus primum e Germanis RAMLERUM, qui verba poëtae latina, sic germanice reddidit: *Diese Vorstellungen würden nicht geglaubt werden, und also auch nicht gefallen.* STARKE pressius:

Das kann ich und mag ich nicht glauben.

A REGELSBERGERO versa ita leguntur:

Alles was so man mir zeigt, dies glaub' ich nimmer und hass' es.

HABERFELD, qui multa et praeclara ad hunc locum monet, quomodo intellexerit Horatii verba, ita suis expressit: *Solche Darstellungen sind entweder unwahrscheinlich, oder erwecken Ekel und Abscheu.* Miror a WIELANDO hunc versum plane omissum. VOSSIUS habet:

Was du mir so vorführst, o hinweg! ungläubig veracht ich's.

SANADON, Franco-Gallus, Horatium sua lingua ita interpretatus est:

On ne croit rien de tout cela, et la vue même ne peut qu'en inspirer de l'aversion. BATTEUX: *cette maniere de les présenter seroit odieuse et detruiroit l'illusion.* DACIER: *Tout ce que vous me presentez de cette maniere, je le haïs, et ne le crois point.* Ac ne quis de vera Dacerii sententia dubitet, is verba sua ita interpretatus est in Notis: *Horace ne se contente pas de donner le précepte, il en donne aussi la raison. C'est que ces choses prodigieuses exposées aux yeux deviennent incroyables & font tomber la tragédie: elles ne sont supportables que dans les recits, où la fable leur donne un passeport.*

DARU quae cogitauerit, ita est elocutus:

En voyant ces tableaux, ma raison s'en défie.

BORGIANELLI, Italus, Horatium facit ita loquentem:

che se ciò si addita,
Incredulo devengo et nauseato.

PASQUALII interpretatio est:

in guisa tal quanto mi mostri,
Fra che incredul di leggi, e in odio io prenda.

Patrinii expositio:

Ciò, che così mi mostri, odio e non credo.

En quoque Hispanum de Yriarte, qui sensum illorum verborum exposuit sic: *Repugnantes me son, y non los creo.* — *Anglorum* sistimus vnum, Dunsterum, qui his verbis vsus est: *I hate to see such Things upon the Stage, they are Idle and Romantick.* Licuit quoque consulere interpretationem Vondelii, Bataui, qui poëtae verba ita reddidit: *Al watge my zoo vertoont, dat haet ik, als een die het nit gelooft.*

Omnes manifestam arbitrantur hujus interpretationis rationem. Neminem enim posse negare, nefaria atque crudelia esse odio digna, mutata vero corpora in formas repugnantes incredibilia atque absurda. Ferri quidem talia, cum relata vel legantur vel audiantur: eadem vero spectatorum oculis subiecta minime posse placere. Sed cum nefaria crudelitatis facinora, siue oculis subiecta, siue auribus tradita, liberaliorum hominum

in se semper incendant odium, et quae nullam ostendunt veritatis imaginem, qualia sunt, quae e fabulosa antiquitate commemorat Horatius exempla, siue audias ea, siue videas, semper sint ejusmodi, vt fide prorsus careant; nullam enim, ait Cicero, auctoritatem debemus, nec fidem commentitiis rebus adiungere: nescio, qui fiat, vt Horatius, vel quicunque alius spectator, ex illorum interpretum sententia, mendaciis portentosis ac nefarie factis credulas prebeat aures, non idem oculos ad credendum paratos, cum tamen ipse poëta habeat haec:

Segnius irritant animos demissa per aurem,
quam quae sunt oculis subiecta fidelibus, et quae
ipse sibi tradit spectator;

teste vero Seneca, homines plus oculis soleant credere, quam auribus, faciliusque, Ciceroni si fides habenda est, ad ea, quae visa, quam ad illa, quae audita

sunt, oculi mentis ferantur. Augent quidem, quod idem Cicero testatur, dolorem oculi, qui ea, quae ceteri audiunt, intueri coguntur, vt tolerabilius sit, acerba audire, quam videre; qua tamen re nec augeri potest nec minui fides, quae firma nititur opinione ac persuasione de rei veritate, cujus tanta est vis, vt nullis machinis, nec cuiusquam hominis ingenio aut arte subuerti possit.

Sed vt concedamus, fidem dolore, e rebus visis percepto, posse imminui, vocat enim Horatius amorem rem credulam, vt incredulam rem iure possis vocare dolorem et odium; quod tamen longe secus est in fabulis: quid tandem, quod ad tuendam illorum interpretum sententiam dici possit, relinquitur, cum intelligamus Romanos, qui callum quasi sensibus obduxerant, non tantum diuturno gladiatorum vsu et consuetudine θαυματοποιῶν, de quibus consulendus est Bulengerus, sed exemplis quoque ciuium suorum, in suos

aliosque crudeliter seuientium, satis fuisse adsuetos miraculis et caedibus cruentis, vt ejusmodi spectacula vel in scena exhibita, vel a poëtis viuidis coloribus depicta et quasi ante oculos posita, animos eorum non turbarent, sed delectarent? Huius generis est pugna Lapitharum cum Centauris, ab Ouidio conuenienter descripta, quam olim fabulam, Caenei titulo inscriptam, de qua videndus est Petitus in Miscellaneis, docuerat Antiphanes. Nil dicam de iis scenae et vitae ludibriis, quae Durantius Casellius Variorum Libro Primo collegit. Vereor enim cum illo, ne potior fuerit ratio istorum qui eiusmodi monstris oblectabantur, quam eorum, qui in his cognoscendis abutuntur tempore, labore et ingenio.

Nec mirum: omnes enim omnium temporum homines, inerti otio atque luxuria deprauati, semper adamarunt mira, portentosa, incredibilia, varie

mixta, atrocia atque horrenda, vt nostra adeo aetate haud pauci fuerint, et adhuc sint, qui libidinibus inflammati atque furentes, rabide appetant, cum inexplebili quadam cupiditate fabulas lemuribus, incantationibus, latrociniis, caedibus ac sanguine plenas. Ne quis veritatem criminetur, testem habeo satis locupletem, AUGUSTUM DE KOTZEBUE, qui in praefatione libelli *Chroniken* inscripti, statim ab initio his vtitur verbis: *Drum gehe hin, mein Söhnlein, in Gottes Namen! Erzähle den Leuten, was sie immer gern hörten: Feuer und Wassersnoth, Belagerungen, Mordthaten, Gespenstermährchen, Schiffbrüche, u. s. w.* LAMY scriptor gallicus, obliuioni immerito traditus, idem fere dixit: *L' expérience fait connoître, que le peuple a une passion très-ardente pour ce qui s' appelle Spectacle, c' est à dire, pour les choses extraordinaires, qui font des grandes impressions sur les sens, et qu' indifféremment il regarde avec curiosité ce qui lui semble nouveau.* In quo igitur homines exhorrescunt, quod stu-

pefacti intuentur, in quo exclamant, qui placere cupiunt poëtae, id potissimum in scenam producant necesse est.

Quod quamquam diuturna notatur obseruatione, insitus tamen est et innatus hominibus pulchri atque decori sensus, siue potius ingenii vel mentis acumen, quo quis instructus, quid in quacunque re aptum et decorum sit, prudenter et celeriter videat, fugiatque oculis, vel saltem aegre adspiciat res, quibus offenditur, naturae contrarias et ab omni humanitate alienas: cujus generis sunt mutata in nouas formas corpora, et infanticidia ab ipsis parentibus vel cognatis crudeliter perpetrata, quamquam non ita rara, vt memoriam penitus fugiant. Sunt, qui cum antiquo Cruquii Interprete, Chabotio et aliis, huic humanitatis sensui mentisque acumini illa Horatii lege cautum dicant, quibuscum facere videntur Bernhardus Lamy et Iason de Nores, in sua interpretatione e quotidianis Tryphonis

Gabrielii sermonibus desumta. Ille enim libelli sui de arte poëtica, (*Reflexions sur l'art poëtique*) Parte altera, Capite quidem septimo: *Les maîtres de l'art*, inquit, *ne veulent pas aussi qu'on fasse paroître sur la scene ce qui pourroit faire peine. — Ils veulent pareillement que l'on cache et que l'on ne représente pas de certaines actions odieuses qui blessent les yeux, parcequ'elles sont contre la bienséance et l'honêteté, et que l'on cache et que l'on ne pourroit les considerer sans sentir en même tems la modestie offensée et sa conscience blessée.* Iason vero, disputans contra eos, qui de Sparonis Tragoedia, *Canace e Macareo* italice dicta, inique iudicauerant, inter alia dicit haec: Praeterea minus etiam terribile, aut miserabile videri illud genus Tragoediae, quod a scenae apperatu proficiscitur, affirmare possemus, quia adimit fidem. Ademta autem fide, adimitur omnis et terror et misericordia. Nam quemadmodum res verae magis mo-

uent, si videntur, *vel in rerum natura, vel probe imitatae*, quae verba perperam ille omisit, quam si relatae ab aliis audiuntur: ita etiam fictae, iterum addere debuisset, *male imitatae*, risum potius, quam terrorem aut misericordiam concitabunt. Si forte sint, qui a me addita in dubium vocare conentur, legant, quem cum risu exceperunt, et cum admiratione dimiserunt Veneti, Italum poëtam Gozzium, qui feliciter usus est apparatu scenico ad effingendas agendasque res incredibiles et pene ridiculas; sint porro praesentes nostris in theatris, quando, exempli causa, agitur Elisa, fabula melica a Mayro modis aptata, videantque niuem effundi, iuuenemque reuulsa niuium mole abreptum altissimo de loco se dare praecipitem; videant incendia, pugnas, caedes, miracula, et quae sunt hujus generis sexcenta alia, aliis in fabulis, praecipue in Fausto obuia, quam fabulam Klingemannus nuper docuit; quae qui

intelligit rebus ipsis conuenientia et recte expressa, nemo non miratur. Qui igitur hoc loco vrgent sensum illum humanitatis, mihi quoque versari videntur in errore. Nam, cum quae non deceant, humanitatique displiceant visa, audita quoque displicere stomachumque mouere debeant, quomodo, qui spectaculis noluerit obesse humanitati, huic prodesse possit praesenti facundia, id exputare non possum. Tantum denique abest, quod iam Aristoteles obseruauit, vt homines ab iis, quae in rerum natura spectant cum dolore atque molestia, ita abhorreant, ut ea videre nolint, vt gaudeant potius intueri ista affabre imitata. Verba illius sunt, de arte poëtica: *ἃ γὰρ αὐτὰ λυπηρῶς ὁρῶμεν, τούτων τὰς εἰκόνας τὰς μάλιστα ἠκριβωμένας χαίρομεν θεωροῦντες.* Quod probe nouerat Seneca Tragicus, ex hoc Horatii loco a nonnullis notatus, qui Medeam natorum membra crudeliter dilacerantem in scenam iussit prodire.

Quare non possum adduci, vt antiquorum illorum populorum humanitatem penitus eandem fuisse credam, quam colunt homines liberaliter educati nostrae aetatis quippe puriori religionis doctrina illustratae. Qui enim sanguine et caede Deos placare student, quamquam non omnem humanitatis sensum amiserint, a vera tamen humanitate iure habentur alieni. Nos vero, inde a pueris ad veram humanitatem, vel nescientes, informati, quod, cui potissimum debent, acceptum referunt pauci, plurimi, cum nonnulli literarum studiosi veram humanitatem ignorare videantur, minus recte tribuunt studiis, quae vulgo dicuntur humanitatis, omnia solemus iudicare e nostra ratione, quam non alienam putamus, quod amoris et caritatis est, ab omnibus iis, quorum et agendi et sentiendi cogitandique ratio proxime ad nostram accedere videtur.

Restat, vt pauca adhuc moneam de sententia eorum, qui rerum mirabilium

imitationem et fabulis in scena exhibitis et spectatorum illusioni, quam vocant, obesse contendunt. Vix video, quid velint, nisi intelligant ineptam imitandi rationem, quae quidem haud maius potest excitare taedium, quam quod mouet ineptum narrandi studium. Quod igitur hac in re peccatur, non actione peccatur, sed inepta agendi ratione, quam nemo sanus ac prudens vllo in loco admittet. Nec potest fabula veniam impetrare narrationi ineptae, quae ab eo, quod decet, recedit et in rebus exponendis friuolam sequitur rationem. Hinc, quam concedimus narrationi veniam, hanc non damus isti, tanquam narrationi, sed quod intelligimus eam sanam, aptam, probam, perfectam et absolutam. Si vero eandem rem, sive veram, sive fabulosam, quam probe enarratam cum voluptate audiuimus, possimus quoque oculis spectare, ab homine, qui ingenio et arte valet, proba actionis imitatione conuenienter

expressam, cur id inprobemus, non video. Alia igitur lex est quaerenda, ex qua illud Horatii praeceptum conuenientius possit explicari.

Quae cum ita sint, inueteratam illam et antiquitus susceptam deserere non dubitaui opinionem istorum interpretum, qui primam praecepti Horatiani causam indagantes, eam cum honestatis ac sapientiae magistris quaerunt in intimo hominis pectore communique humanitatis sensu, quem non recte perspectum, grauius affici oculorum quam aurium iudicio temere pronuntiant. Nec ab eorum partibus stare possum, qui hoc genere actionis, omnem veri speciem tolli contendunt. Placet potius cum Aristotele, oratorum ac poëtarum praeceptore, omnem illius praecepti rationem petere ab arte, quarum in suo quaeque genere perfecta esse debet, hoc est sibi sufficiens, vt nihil desit, quod ab aliis artibus anxie debeat mutuari. Semper enim, vt ait Cicero, qua-

cunque de arte aut facultate quaeritur, de absoluta et perfecta quaeri solet. — Vis enim et natura rei, nisi perfecta ante oculos ponitur, qualis et quanta sit, intelligi non potest. Contra alios igitur pro mea sententia disputaturus, faciam id animo bono atque modesto, vt in sententiarum disiunctione humanitate maneamus coniuncti. Absit enim, vt alicuius aut manes lacessam, aut de fama adhuc viuentium improbus detraham, aut, quod summae esset arrogantiae, cornicum, vt dicitur, oculos configere velle videar. Libenter lego et laude prosequor, quibus conscribendis docti ac probi viri insudauere. Errores tantum agnoscere, non culpare soleo, neque in errore versantem ab aliis corrigi libenter patior, modo id fiat non minuendae, sed mitigandae auctoritatis gratia. Non enim sum e numero eorum, qui suo iudicio contenti, aliorum iudicia spernunt. Mihi cum Plinio iuniore

modestior est conscientia, quam vt satis absolutum putem, quod a me probetur. Qui vero omnia odio et iracundia iudicant ac nequeunt se prohibere ab iniuria, merito veniunt in contemtionem. Quid enim sapientia atque doctrina habet commune cum Cane illo Stygio, qui neque ab Hercule, ferarum domitore, ex Orco ad Superos reductus, neque sedatus ab Orpheo et Musis, humanitatem suadentibus, sed a Dirarum sororum vna nefarie immissus, fauce improba petit omnes, qui inhianti non litant, aut pessime latrantem lusciniae instar canere negant? Cum hoc mihi nulla causa intercedit. Vlulet antique, latret antique, faciat antique reliqua omnia, et hac ratione prodat ingenium suum; caueat modo, insanabile caput, ne in cineres proborum, — impetret Horatius veniam vocabulo in re foedissima foedo, — mictum antique veniat. Idem ego nec eos moror, qui inuidentis animi poenam luentes, si quid ab his, vt MAMERTI ver-

ba mea faciam, quos iniquo lacessunt odio; ad vtilitatem publicam veri prodatur, diuersum protinus adstruunt, etsi idem sentiant. Istorum hominum peruersitas non argumentis et iustitia conuincitur, sed alitur potius disputando et probitate: quare eos mittamus et ad sententiam nostram exponendam reuertamur.

Liquet HORATIUM in illa Epistola ad Pisones totum esse in arte, eaque potissimum tractare praecepta, quae ex artificio quaeruntur. Hinc statim ab initio carminis sui cecinit:

In vitium ducit culpae fuga, si
caret arte.

Et paulo inferius:

Sic priscae motumque et luxuriem addidit arti
tibicen.

Nullum autem haberemus vel artis vel disciplinae cujusvis artificium, licet sint, qui e philosophia quadam, in qua vitae suae quasi tabernaculum collocant, hanc

sententiam solent impugnare, nisi ea, quae sponte sua hominibus visa sunt perfecta et omnibus numeris absoluta, diligenter a quibusdam fuissent et obseruata et commendata, vt artem non ex artificio, sed artificium ex arte natum intelligamus. Quis enim est, qui ignoret, Horatii artificium a Graecis esse deductum: etsi Porphyrion non annotasset, cujus auctoritatem ille inEpistola ad Pisones sit secutus? Congessit nempe in suum librum praecepta Neoptolemi de arte poëtica, non quidem omnia, sed eminentissima. Ipse vero, vt reliqua taceam,

> vos, inquit, exemplaria graeca
> nocturna versate manu, versate
> diurna.

Nam

> Graiis ingenium, Graiis dedit
> ore rotundo
> Musa loqui, praeter laudem nullius auaris.

Hinc, quae forte apud Graecos non fuerant in usu, ab Horatio ea quoque

contemni, non est, quod miremur, cum neminem esse puto ita leuem, qui, quae semel arriserint artificii praecepta artemque iuuerint, soleat abiicere, praesertim cum forte nihil habeat, quo amissa commode possint suppleri. Verum enim, quod alii poëtarum antiquorum lectores iam obseruarunt, Graecorum nullus nec caedes nefandas, AESCHYLO auctore, qui, teste PHILOSTRATO, caedes post scenam, non in omnium oculis patrari instituit, nec commutationes turpes oculis spectatorum in scena subiecit: duabus potissimum, ni fallor, de causis, vel quod iustus et idoneus scenae apparatus, quo sine oculorum offensione, vere et ad viuum ejusmodi spectacula exhiberi poterant, non desiderabatur a spectatoribus mente et cogitatione affluentibus, qui artem iambo ARCHILOCHI et THESPIS plaustro inuectam emendandam modo censebant: vel quod poëtarum ingenia sibi non quaerebant laudem ex machinis, quas diligentissime exposuit

Boettigerus in Deo ex machina, sed potius inclarescere studebant fulgore carminum, et, quam Horatius dicit, diuite vena. Quod comprobat noster, cum dicit: interdum speciosa locis etc. Aristoteles vero his verbis: *δῆλον ȣ̃ν ἐκ τȣ́των, ὅτι τὸν ποιητὴν μᾶλλον τῶν μύθων εἶναι δεῖ ποιητὴν, ἢ τῶν μέτρων, ὅσῳ ποιητὴς κατὰ τὴν μίμησίν ἐςι.*

Constat autem et Graecorum et Romanorum theatra primum fuisse simplicissima. Romae enim Claudius Pulcher primus theatra picturis exornauit, vt splendidissima quidem inde ab illo tempore, sed sumtuoso apparatu magis essent conspicua, quam vtili et necessario. Graeci fero, quibus Agatharchus, vt Vitruvius scribit, primum, docente Aeschylo tragoediam, scenam fecit, ad aciem oculorum radiorumque extensionem certo loco centro constituto ad lineas ratione naturali respondentem, quo scenae apparatu vsi sint, colligi potest e Polluce, quem qui pleniorem

optant, possunt tamen satis intelligere, quod etiam libenter concedunt, nostrae aetatis artem ad fallendos spectatorum oculos, Graecorum apparatu esse longe aptiorem ac perfectiorem. Hanc cum ignorarent antiqui, vti noluerunt illa, quam imperfectam intelligebant, nec satis dignam poëtis tragicis, qui fabula et carmine, non miraculis et apparatu ingenium rite ostendebant.

Et profecto est ad commouendos animos quaedam orationis et carminis vis, qua sola actionis imitatio penitus est destituta. Quare etiam Socrates et Lactantius plus auribus dedisse videntur, quam oculis. Sermone enim, qui animi est simulacrum atque interpres, solus homo gaudet, cetera vero animalia, quae cum hominibus multa habent communia, prorsus carent. Orationis beneficio mens sua enuntiat cogitata, optata, decreta; sua declarat consilia, voluntates, sententias iis, ad quos nec frons, nec oculi, nec nutus, nec gestus, qui reli-

qui sunt mentis indices ac nuntii, possunt humana vlla industria pertingere. Et cum, quidquid in scena agitur, sit vitae humanae imitatio, consuetudinis speculum, veritatis atque rationis, qua omnis vita humana constat, imago, neminem esse puto, qui cum Musis, id est cum humanitate habeat aliquod commercium, qui non velit vti sermone interprete, gaudeatque oratione, quoties vel imitando exprimere studet hominum mores, vel in alienis personis optat videre effictos, intuerique expressam vitae imaginem. Imperfecta enim est, et, vt ita dicam, inhumana, omnis vitae adumbratio, quae sola actione perficitur; mouet quidem spectantium animos, sed parum vel perperam intellecta non edocet, auocat potius mentem celerem a rationis atque probitatis contemplatione eamque nunc huc, nunc illuc diuidit. Quodcunque vero non absoluitur mente et cogitatione, licet sensus vel suauissime titillet, vel afficiat grauissime,

non ad hominem pertinet, sed ad eam tantum hominis partem, quam communem habemus cum brutis. Quare etiam, quam causam praeclarissime perorauit Crassus apud Ciceronem, populi antiquissimi maluerunt ciuitates regi oratione, quam vi et manu; et qui olim tentatus fuerat iocus, quod

illecebris erat et grata nouitate morandus
spectator functusque sacris et potus et exlex,

mox conuersus est ad hominum salutem, scenaque, religionis pars, prudentissime instituta ad regendas oratione ciuitates, moresque ciuium carmine recte formandos. Qua de causa tam multas, tam praeclaras, tam veras, tam graues legimus sententias apud poëtas scenicos, qui prudenti consilio vitam monere volebant, collectas ex Euripide a MICHAELE NEANDRO in Aristologia Euripidea, e comicis graecis et latinis ab HENRICO STEPHANO et aliis. Hinc fa-

ctum est, quod ipse praecepit Aristoteles, vt poëtae antiqui maluerint placere oratione, quam actione. Potiora tantum huc pertinentia ex Aristotele delibabo. Ἡ τραγῳδία, inquit, καὶ ἄνευ κινήσεως ποιεῖ τὸ αὑτῆς, ὥσπερ ἡ ἐποποιΐα. Διὰ γὰρ τȣ͂ ἀναγινώσκειν φανερὰ ὁποία τίς ἐϛιν. Porro: ἡ γὰρ τῆς τραγῳδίας δύναμις, καὶ ἄνευ ἀγῶνος καὶ ὑποκριτῶν ἐϛιν. Alio denique loco: ἔϛι μὲν ȣ͂ν τὸ φοβερὸν καὶ ἐλεεινὸν ἐκ τῆς ὄψεως γίνεσθαι. ἔϛι δὲ καὶ ἐξ αὐτῆς τῆς συϛάσεως τῶν πραγμάτων. ὅπερ ἐϛὶ πρότερον καὶ ποιητȣ͂ ἀμείνονος. δεῖ γὰρ καὶ ἄνευ τȣ͂ ὁρᾷν ȣ̈τω συνεϛάναι τὸν μῦθον, ὥϛε τὸν ἀκȣ́οντα τὰ πράγματα γινόμενα, καὶ φρίττειν καὶ ἐλεεῖν ἐκ τῶν συμβαινόντων. Ad quem Aristotelis locum longam habet expositionem Lessingius in Dramaturgia lectu dignam. Aristotelem vero, cum haec praeciperet, non errasse, quod nonnulli volunt, satis apparet e supra dictis et e fabulis Graecorum tragicis, quae ad nostram peruenerunt aetatem, earumque inprimis forma. Idem indicasse videtur Sulzerus, qui in Libro suo de Artibus, sub

voce *Handlung*, posuit haec: *Das Interessante der Handlung muss nicht im Aeusserlichen derselben, sondern in dem, was zum Geist und zum innern Character der Sachen gehört, gesucht werden.*

Hinc etiam Horatius, ad Graecorum exempla, poëtis commendat praesentem facundiam, hoc est, quae res, veluti visas, sententiose enarret, seque incredulum profitetur osorem illius artis, quae non orationis elegantia placere ornatuque carminis satisfacere studet spectatoribus, sed actionis imitatione laborat iuuare veritatem fidemque conciliare rebus intus geri dignis, hoc est satis notis et post scenam peragendis, quippe quae machinatorum tantum opera subiici possint oculis fidelibus; quod, teste Aristotele, magis choragi est, quam poëtae. Verba Aristotelis sunt: *ἐπεὶ δὲ πράττοντες ποιοῦνται τὴν μίμησιν, πρῶτον μὲν ἐξ ἀνάγκης ἂν εἴη τι μόριον τραγῳδίας ὁ τῆς ὄψεως κόσμος. εἶτα μελοποιία καὶ λέξις. — ἔτι δὲ κυριωτέρα περὶ τὴν ἀπεργασίαν τῶν ὀψέων ἡ τοῦ*

σκευοποιοῦ τέχνη τῆς τῶν ποιητῶν ἐστι. Ex quo Aristotelis praecepto interpretor illud Horatii:

Quodcunque ostendis mihi sic, incredulus odi,

Vsus nempe est poëta sententiosus, cum haec scriberet breuiloquentia, quam Graeci βραχυλογίαν vocant, cujus quidem rarior et negligentior apud Grammaticos est obseruatio. Quam si plenam optas atque copiosam, sic se habeat oratio necesse est: quodcunque ostendis mihi sic, id est, hoc modo, hac peruersa tua arte in scenam productum, quae quidem τοῦ σκευοποιοῦ, sed non poëtae est, et quae a Graecorum vsu longissime distat, non probo, nec vera arte elaboratum credo, sed quam detestor a scena, odioque censeo dignam. Displicet ea, ceu male sana, inepta et discrepans ab arte illius, qui cum laude ponitur

inter amabiles vatum choros. Rebus enim commentitiis et fabulosis, quas quisque habet cognitas et iudicatas, hoc modo majorem, quam praesenti facundia conciliare velle fidem, absurdum et a Graecorum ratione, quos solos fas est sequi, alienum est, licet hunc artis tuae errorem defendas illo Stoicorum: τὰ δ' ὀμμάτων φαινόμενα πιστότερα εἶναι τῶν ὤτων δοκεῖ. Non enim est poëtae conciliare fidem, quam vulgo vocant historicam, factis, sed praeceptis, quae e rebus gestis fluunt, et quibus verus vitae vsus in omnes partes confirmatur.

Hanc meam interpretationem tueri videntur non tantum Horatius ipse, sed etiam Acron, a reliquis interpretibus vel parum lectus vel intellectus perperam. Hic enim explicandi causa nostro loco adscripsit: non credens sic

debere fieri, ac per hoc sperno atque contemno; quae verba, qui velit de rebus ipsis intelligere, non de arte, qua res in scenam producuntur, praepostere agere videtur. Ille vero, qui poëtas praecipiendo breues esse docet, si iam nostro in loco de rebus fide haud dignis praecepisset, hoc vno praecepto contentus, non denuo idem affirmare tentasset his verbis:

> non quodcunque volet, poscat sibi fabula credi:
> neu pransae Lamiae viuum puerum extrahat aluo.

Nec alium sensum admittit ratio grammatica. Praecipit nempe poëta de modo in scena proponendi his verbis:

> aut agitur res in scenis aut acta refertur,

eumque duplicem esse declarat, aut actionis, aut relationis siue narrationis. Narranda censet omnia intus

geri digna, quae multa esse innuit, non atrocia, nefaria et incredibilia sola. Tum hanc praecepti partem exemplis illustrat, quae illustratio, non e nostra ratione interpretanda, sed e consuetudine illorum temporum, saluo praecepti sensu abesse possit, et addit iudicium, quod non exempla illustrandi causa apposita eorumque naturam, sed in vniuersum aberrationem ab illo praecepto spectat. Hinc odii notio, in illo indicio, non est conjungenda cum nefarie factis Medeae et Atrei, quamquam sua natura odio maxime dignis, nec incredulitatis cum mutato Cadmo et Progne, rebus per se incredibilibus, sed pertinet illa ad modum istum peruersum, quo a poëtis, graecam rationem vel ignorantibus vel negligentibus, contra omnem consuetudinem antiquitus receptam, ejusmodi res in scenam promuntur. Hunc modum odio dignum censet Horatius, seque simul profitetur incredulum, arguens consilium, quod sequi solent

qui in hunc scenae errorem inciderint, spe fore, vt oculis *fidelibus* subiecta citius ac grauius irritent animos, quam auribus tradita.

Neque huic explicationi aduersatur particula prohibitiua *ne*, quam BENTLEIUS, Codicum auctoritate permotus, pro *nec* in textum recepit. Pendet enim illa ab ipso praecepto ejusque indole, non ab exemplis et eorum natura; quam opinionem, supra satis refutatam, BENTLEIUS quoque sequi videtur. Ita enim in Notis ad hunc locum scripsit: *Tolles, inquit (Horatius) ex oculis; ne, ἵνα μὴ coram populo nefaria illa et incredibilia ostendantur.* De BAXTERO vero, qui incredibilia referenda quidem putat, non ostendenda, non est, quod moneamus.

Liceat potius huc pauca quaedam addere de eo, quod ex antiqua ratione *decebat*. Ab institutis majorum discedere, semper nefas putabatur; hinc consuetudinis religio et sanctitas. De eo,

quod in omni vita et arte deceat, iam a veteribus multa sunt disputata. Roscius, vt est apud Ciceronem de Optimo Oratore, dicere solebat, caput esse artis, decere; quod tamen vnum id esse, quod tradi arte non possit. Sunt, qui e Cicerone dicant, hac voce significari aptitudinem, honestatem, conuenientiam, quae in re quaque insit ratione alterius rei; πρέπον Graecis, Quinctiliano vrbanum dicitur: sed omni hac disputatione non elicitur, quid sit decorum suapte natura. Equidem dicerem, quae apta et decora vulgo dicuntur, consentanea rationi, eo sensu, quo nostratium nonnulli hac voce vsi sunt in disputationibus suis philosophicis, nisi et hujus vocabuli notio suas haberet difficultates, quas acute et subtiliter erutas solent calumniari, quibus non datum est eas statim intelligere: non enim cuiuis licet adire Corinthum. Recentiorum nonnulli id appellare consueuerunt pulchrum atque decorum,

quod vel naturae consentaneum in rebus arte imitandis non probe negligitur, vel aptum atque conueniens est menti et animo illius, qui omnia e consilii cujusdam ratione peragere solet. Quem ergo deprehenderimus ab hac ratione discrepantem, eum contra decorum peccasse recte pronuntiabimus. Quod autem fuerit antiquorum poëtarum consilium in pangendis carminibus fabulisque docendis, satis intelligitur e supra dictis, et ex illis Horatii:

Fuit haec sapientia quondam,
publica priuatis secernere, sacra profanis,
concubitu prohibere vago, dare iura maritis,
oppida moliri, leges incidere ligno,
sic honor et nomen diuinis vatibus atque
carminibus venit.

Et alio in loco:

Os tenerum pueri, etc.

Edocere nempe populum volebant poëtae, vitamque prudenti monere consilio. Hinc omnia a scena recte iudicabant amouenda, quae animos spectatorum turbarent mentemque a doctrina percipienda abstraherent longius; nihil enim est difficilius, quam a consuetudine oculorum mentis aciem abducere. Hac lege semel reperta, ceteri poëtae, qui placere volebant, ex illius ratione, fabulas suas atque carmina perficere studebant, et postea consuetudo facta est altera natura, quae praescriberet, quid in quacunque re deceret. Testem huius argumenti habemus VITRUUIUM, qui decorum ejus artis, de qua praecipit, in consuetudine ponit. Is enim: in architectura, inquit, decor est emendatus operis adspectus, probatis rebus compositi cum auctoritate. Is perficitur statione, consuetudine, natura. Quod praeceptum nostra adhuc aetate artifices sequi solent. Nos igitur, Horatium quo-

que e consuetudine praecepisse contendentes, a vero non aberasse, facile videbit is, qui mores hominum recte perspexerit.

Longe aliter autem res se habet, si spectamus rationem eorum, qui infucatae honestatis veraeque probitatis studiosi, nil probant in omni vita, nisi quod virtuti, quam diuinitus acceptam colunt, maxime sit consentaneum, et qui consilia sua moderantur lege diuina veraque religione. His decorum, quod sequuntur et in omnia natura vident, sola est virtus et probitas. Vnam norunt artem, quae virtutem et probitatem iuuat; vnam rationem, quam ex Deo esse intelligunt; vnum consilium, quod veritatis sequitur iudicium, non sensuum atque cupiditatum; vnam dignitatem, quae omnino fugit, quidquid mentem abducere solet a Deo, quem solum sectantur. Hac mente praediti penitus abstinere solent ab ea rerum friuolarum excusatione, qua vtitur

Plinius iunior in Epistola ad Aristonem, certe persuasi, honesta quidem non corrumpi in deterius, quae aliquando etiam a malis fiunt, sed honesta manere; mala autem, quae saepius a bonis, qui vulgo putantur, solent committi, non honesta fieri.

Sed quo facilius de antiqua consuetudine possis iudicare, libet hoc loco interponere, quae de seriorum temporum institutis obseruauimus. Spectaculis interesse ac frequentare theatra nefas quidem putabatur primis Christianis: mox vero, vt fieri solet, ab ipsa religione veneranda petere solebant argumenta ludorum, vt exhiberent in memoriam seruatoris, praesertim in crucem acti, spectacula in aedibus sacris. Equidem fingo mihi horum ludorum origines rudes atque inconditas, similesque spectaculis, quae Thespis olim exhibuerat. Multa enim de isto spectaculorum genere vulgo narrantur ridicula atque iocosa; actione nimirum exprimere studebant, quae

praesens facundia melius narret. Hinc in contemtum venit apud prudentes, quod insipientium turba fuerat admirata; cui malo reperit medicinam sacrorum emendatio. Sustulit enim ea actionem et suasit praesentem facundiam, vt inde ab illo tempore, sacris istis in ludis, omnis actio cessaret et quisque datas sibi partes sola oratione et cantu absolueret. Idem fere Aeschylus instituisse videtur, cum caedem sub scena fieri iuberet. Diu sacri Christianorum coetus illud institutum sustinuerunt, quod ad nostra vsque tempora fere permansit. Hodie autem illa consuetudo penitus est sublata, ni fallor in gratiam eorum, qui pristina narrationis simplicitate offensi, oculorum spectacula denuo optabant, quae nisi reperiissent in theatris profanis, vereor ne in eundem inciderint errorem, quem reprehendit Horatius in quibusdam hominibus suae aetatis, qui obsoleta et iam olim explosa denuo repetebant, pro lubitu diligentius adornata ad nouum exem-

plum. Vana enim, lubrica et mutabilia hominum ingenia semper in contraria ruunt. Nec seiuncta sunt ab hac sententia, quae leguntur apud WINKELMANNUM de arte Graecorum: *Das Gute verlieret sich oft eben dadurch, weil man immer das Bessere will, so wie es der Gesundheit nachtheilig ist, gesünder seyn zu wollen, als man ist.* Nequeo mihi temperare, quo minus, quod nostrae gentis scriptor eadem de re indicauerit, hoc loco afferam. Verba illius sunt: *Dieses ist aber auch der Gang aller menschlichen Erfindungen. Muse oder Noth erzeugten sie; Bequemlichkeit oder Bedürfniss gaben ihnen Dauer; Fortschritte oder Rückschritte in der geistigen Ausbildung machten sie zur Sache des Geschmacks und drückten ihnen den Stempel des Charakters des jedesmaligen Zeitalters auf. Ein Einfall, den ein müssiger Kopf unter seines Gleichen brachte, wurde zum Spiel; Umstände und neue Einfälle künstelten daran, und machten gut oder verdarben. Dass unter diesen nicht auch mancher kluge Einfall sollte zum Vorschein gekommen seyn, ist schon*

darum nicht unwahrscheinlich, weil die Menschen gern klügeln: aber klügeln ist noch lange nicht einen Gegenstand aus vernünftigen Principien herleiten. In der That giebt es auch nur einen Gegenstand unter den menschlichen Angelegenheiten, der seinen vernünftigen Ursprung nicht verläugnen kann, und unsere edlere Natur am sichtlichsten beweisst, die Sehnsucht nach einem Ideal der Vollkommenheit, und das sich daraus entwickelnde Pflichtgefühl. Allein diese Erscheinung stellt uns auch die Geschichte aller Zeiten als göttlich auf, da alles andere es nur in soferne wird, und sich gleich bleibt, als es sich dieser Veredlung nähert. Was auch andere darüber sagen mögen, schwerlich werden sie der Erfahrung und Geschichte eine andere Ansicht für den Gang menschlicher Spielereyen oder Grundsätze der Kunst, abgewinnen, so täuschend sich auch aus der edlern Natur des Menschen a priori darthun lässt, dass es anders zugegangen seyn müsse. Findet nicht der Anatomiker oft ganz andere Resultate, als der Theoretiker ihm aufschwatzen wollte? Und ist der ewige Krieg schwankender Hypothesen nicht der sicher-

ste Beweiss, dass die Erfahrung richtiger leite? Darum aber, dass dieser oder iener sich keine Erfahrungen zu eigen gemacht hat, sondern alles, wie die Spinne aus sich selbst zieht, folgt nicht, dass es gar keine Erfahrungen über Dinge in der Zeit giebt, und dass es überhaupt besser sey, jede Erscheinung auf einen, zwar aus der Natur der Sache erweisslichen, aber ihr, in diesem Falle, problematisch angedichteten Grund zurückzuführen.

At vere videor posse contendere, ipsum Horatium, cum in Epistola ad Augustum dicat:

Quod si tam Graecis nouitas invisa fuisset
quam nobis; quid nunc esset vetus? aut quid haberet
quod legeret, tereretque viritim publicus vsus?

et ex ejus sententia

aut prodesse velint, aut delectare poëtae,

aut simul et iucunda et idonea
dicere vitae,

longe alia scripsisse artis praecepta, si nostrae aetatis artem ac scenae rationem habuisset cognitam, aut in offensionem eorum

quibus est equus et pater et
res,

si ex Arnobio componere imparia par est, artes voluisset vertere, sicuti Baubo, quae, quam serio non quibat allicere Cererem, ludibriorum miraculis exhilarare studebat, aut si eum rapuisset amor illius, qui Chrysostomo auctore, iocos ludosque in artem digesserit. Qui enim omnia metiuntur voluptate, rerum commutationibus, quales sunt Prognes et Cadmi, aliisque oculorum illusionibus ac scenae ludibriis maxime delectantur. Et licet omni laude digni videantur poëtae, qui stylo suo vtuntur ceu penicillo, quo non

verba, sed facta magicis quasi carminibus auribus pingere conantur; vix tamen esse arbitror, qui neget, his palmam praeripere illos, qui iidem pingendi artifices, apparatu scenico suam artem ita iuuent, vt et aures et oculos spectatorum simul capiant, diligenter cauentes, ne, dum verecundius id agunt, voluptatem minuant, qua animos spectatorum explere student, nec, quam nolunt aspernari, cum in suadendo nihil dignitate sit optabilius, dignitatem negligant: quo in genere nostrae aetatis poëtae antiquis praestare videntur. Ex quo enim tempore scena gaudet absolutissimis suo in genere ornamentis et machinis, apparatuque tam perfecto, vt plane nihil sit in rerum natura, quod arte non possit effingi imitandoque in scena exprimi, fabulae, quae diligentia poëtae oblectant aures, arteque mira et idoneo machinatorum apparatu oculos demulcent, non solum prae ceteris placent, sed etiam inexplebile mouent desiderium, vt nemo

praesens sit spectator, qui de rei, licet maxime incredibilis, quaerat veritate et dignitate, sed potius arte et pegmate probe elusus eam miretur, admiratorque credulus plaudat.

Emendanda.

pag. 7.	lin. 15.	leg.	sic, incredulus
17.	19.		apparatu
21.	21.		audiui.
28.	16.		Graeci vero
29.	ult.		nutus
30.	22.		absoluitur
42	13		omni natura

Quae forte irrepserint errata in vltimas paginas, L L. B B. ipsi emendent, humanissime rogamus.

